S. Misi ad te 7 Septembris, ni fallor, sarcinam Matthaei Coignetij, cuius pater ali-
quando Regis Francorum nomine apud Helvetios legatione functus est.
Rogavi autem te mi humanissime Plattere, ut eam per Bibliopolas Lute-
tiam deferri curares. Quod te nobis promisisse postea auriga noster
Hotzius renunciavit. Nec dubito de tua fide, quae mihi iam multis
annis perspectissima est. Quia autem ex literis D. Coignetij tertia
Decembris Lutetiae datis intellexi, sarcinam illam ipsi nondum redditam
esse, etiam atque etiam te oro, ut mihi quam primum significes, per
quem illa transmissa sit, et quo tempore, ut de his D. Coignetium
possim certiorem facere, et ille eam ab ijs repetere possit, qui illam
suis sarcinis coniunxerunt. Grave mihi est, quod novam mole-
stiam tibi exhibere cogor. Sed quid faciam mi Plattere, quando
ut hoc faciam et D. Coignetij amicitia monet, et tua quoque hu-
manitas invitat. De rebus nostris non habeo quod scribam, nisi
quod te iampridem rescivisse scio, me in luctu et maerore esse propter
charissimae uxoris mortem. Nam etsi sciam patienter ferendum esse
quod Dominus imposuerit, neque de eius voluntate aliquid conquerar,
non possum tamen non acerbam illius memoriam retinere, quae
mihi per annos 24 amantissime convixit, et cuius imago viva
in liberis dulcissimis quotidie occursat. Auxit luctum ex illius obitu
conceptum duarum filiarum Bullingeri mors, quae intra decem dies ~~[illegible]~~
illam secutae sunt. Quibus accessit D. Gesnerus, in quo viro quantum
et Schola nostra et publica studia amiserint, nemo literatus ignorat.
Pauciores quidem hoc anno à nobis abstulit Deus, sed eos ferè delegit,
qui sui maximum desiderium apud omnes reliquerunt. Nunc pe-
stis in universum quievit, sed pax ne ista firma et stabilis, an
dictae aliquot induciae sint nescimus. Sed fiat voluntas Domini,
quem precor, ut tibi tuisque annum hunc auspicatissimum faciat.
Salutem ex me dices M. Severino, Joanni Hospiniano, D. Opori-
no et reliquis amicis. Vale mi frater, et me tui amantissimum
redamare pergito. Tiguri Calend. Januarij 1566.

196.

Tuus Rodolphus Gualtherus.

Eruditionis et pietatis
eximiae viro, Dno Thomae
Plattero, amico veteri,
et fratri suo plurimum
dilecto.